

non est, prius tamen instituti magis semper magisque propagari cœpère, præcipuè S. Benedicti familia, cui Principes quoq; non pauci nomen dedere.

9. *Qui seculi hujus scriptores aliique Sancti nominatiores?*

S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus & S. Maximus Abbas Martyr, gloriosi ambo Monothelitarum debellatores, S. Isidorus Episcopus Hispalensis, S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus &c.

S. Oswaldus Angliæ, S. Sigebertus Austrasiæ Rex, S. Emeramus, S. Gertrudis Abbatissa Nivelensis &c.

10. *Quamiracula celebrantur?*

Heraclius Imperator Christi crucem ex hoste receptam non nisi superbissimis vestibibus humili cum habitu mutatis pristinum in locum reportare potuit. Multa porrò magnaque miracula SS. Amandus, Columbanus, Gallus, Joannes Eleemosynarius &c. edidère, quæ in eorundem Sanctorum actis fusè recensentur. Nec pauca collegit Joannes Moschus, ævi hujus scriptor percelebris, qui in *Prato spirituali*, à Synodo VII. laudato memorat, Panem Eucharisticum Seleuciæ ab Catholico heri hæretici famulo domi in armario repositum culmos postea & spicas emisisse, qui palàm dein ostensus est Episcopo & populo, rei novitate prorsus attonitis.

### *Seculum VIII.*

I. *Quinam Pontifices in Petri cathedra sedere?*

86. Joannes VI. ad 705	89. Constantinus ad 715
87. Joannes VII. 707	90. S. Gregorius II. 731
88. Sisinnius 708	91. S. Gregorius III. 741